

# **Cartulaire de Marmoutier pour le Perche (N.-D. du Vieux-Château Collégiale de St-Léonard de Bellême et Prieuré de St-Martin-du-Vieux-Bellême), Nr. 152**

In nomine Sanctae et individuae Trinitatis. Willermus Dei gratia Senonensis archiepiscopus et Apostolice Sedis legatus, dilectis filiis Roulando priori Sancti Leonardi de Belismo et fratribus ibidem commorantibus in perpetuum. Dignitatis nobis ex divina dispensatione commisso officium sollicitudinem nostram hortatur et monet, ut non solum jura sua cuilibet illibata conservare, sed et dissentionum et litigiorum materiam de medio studeamus amputare. Ista itaque ratione induci, vobis, in Christo filii dilecti, et per vos, ecclesie vestre, presentationem sacerdotis in ecclesia de Busseto ad ecclesiam vestram, sicut ex legitimis documentis plenius agnovimus, de jure spectantem, confirmamus et ipsam confirmationem perpetuo valitaram sigilli nostri auctoritate roboramus. Statuentes ut nulli omnino liceat contra hanc nostre confirmationis paginam venire, aut quod a nobis rationabiliter permittitur temerario ausu rescindere. Actum Carnoti in palatio pontificali anno ab incarnatione Domini Mo Co LXo IXo. Huic autem nostre confirmacioni interfuerunt testes quorum nomina annotare duximus : Ermaldus archidiaconus Drocensis, Cantor et Abbas Fulcaudus Sancti Johannis de Valeia, Petrus canonicus Carnotensis, Stephanus abbas Sancti Petri Carnotensis, Petrus decanus de Temerais et alii quam plures.